



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regula Sancti Patris Benedicti

Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>

Moguntiae, 1604

XL. De Mensura potus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

& Astenſe, vt ſimiliter ter in hebdomada, ſed aſtuo tantum tempore poſſint carnes manducare.

De Meſura potus. CAP. XL.

I. Cor. 12.

VNuſquiſque proprium habet donum ex Deo, alius ſic, alius verò ſic. Et ideo cum aliqua ſcrupuloſitate à nobis meſura victus aliorum conſtituitur: tamen Infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam Vini per ſingulos ſufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abſtinentiæ, propriam ſe habituros mercedem ſciant. Quod ſi, aut loci neceſſitas, vel labor aut ardor *Æſtatis*, amplius popoſcerit, in arbitrio Prioris cõſiſtat, conſiderans in omnibus ne ſubrepat ſatietas aut ebrietas, licet legamus Vinum omnino Monachorum non eſſe. Sed quia noſtris temporibus id Monachis perſuaderi nõ potest, ſaltem vel hoc cõſentiamus, vt non uſque ad ſatietatem bibamus, ſed parcius: quia Vinum apoſtatare facit etiam Sapientes. Vbi autem loci neceſſitas expoſcit, vt nec ſupraſcripta meſura inueniri poſſit, ſed multo minus, aut ex toto nihil: benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc ante omnia admonentes, vt abſque murmurationibus ſint.

Eccleſ. 31.

I. (HEMINAM VINI.) Quia (vt ex Monasterio noſtro Caſinenſi percepimus) Heminam Vini eſt multo plus quam communi neceſſitati vnius Monach.

chi sufficiat: Ideo de Vino damus unicuique, quantum sufficit: ita tamen vt iuxta Regulam ebrietas, vel satietas non subrepat. Quapropter monemus Fratres, ne bibant Vinum purum, nisi infirmitas hoc requireret. Et vt ab actibus secularibus nos faciamus alienos, bibimus in Scyphis fictilibus in Refectorio, tenentes illos vtraque manu, quando bibimus. In aliis verò locis possumus vti vitreis.

Quibus horis oporteat reficere Fratres.

C A P. XLI.

A Sancto Pascha vsque ad Pentecostē ad Sextam reficiant Fratres, & ad serā cænent. A Pentecoste autem tota Æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas Æstatis non perturbat. Quarta & Sexta feria ieiunent, vsque ad Nonam, reliquis verò diebus ad Sextam prandeant. Quæ prædii Sexta si opera in agris habuerint, aut Æstatis feruor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis sit prouidentia. Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter & animæ saluentur, & quòd faciunt Fratres absque vlla murmuratione faciant. Ab Idibus autem Septembris vsque ad caput Quadragesimæ, ad Nonam semper reficiant Fratres. In Quadragesima verò vsque ad Pascha ad Vesperam reficiant. Ipsa tamen Vespera, sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes. sed luce adhuc diei omnia consummantur. Sed & omni tempore, siue cœnæ, siue refectiois hora sic temperetur, vt cum luce fiant omnia.